tunior, & hominibus religioſis eſt digna defenſio: ſed quem toties improperant cum Caluiniſtis, conſenſus, & Libro, cui reſpondemus, frequentius, quàm vnquam, & à Theologo grauiſſimo, quanta valet eloquentia, eruditione, atque auctoritate confirmatus; ejus ſane generis eſt, vt ſi ad iſta taceamus, quo grauamur, Caluiniſmi, ipſo noſtro ſilentio, apertius rei, quàm vllorum vociferationibus ſimus peragendi; & ipſamet tolerantia muta, pondus ſit habitura vocis, quâ nos hæreſeos iuſte damnari, aut accuſari profiteamur.

Atque ad huius falſæ & præpoſteræ patientiæ eiurationem eoëgit, quod ex Aſcetica Eremi Patrum obſeruani exemplum, & animo infixum perpetuò hæſit. Cùm vni ex his ſanctiſſimis Cœnobitis, hanc Deus cogitationem immiſiſſet, vt exploraret quid in ferendis æquo & læto animo contumeliis poſſet, ex Eremitis vnum rogauit, ſe probaret omni genere conuitiorum, nec ab vllo quamlibet aſpero abſtineret. Non putauit Sanctus Cœnobita recuſandam hanc gratiam, vel re ac voto tantæ ſanctitatis fraudandum Eremitam. Itaque virum ad virtutis exercitationem aggreſſus, à minoribus conuitiis ad majora proceſſit: & exhauſtis omnium vitiorum nominibus, tandem hæreticum pleno ore vocauit. Exultabat vir ſanctus ad reliqua conuitia, & Apoſtolos imitatus triumphabat, ſe dignum habitum, qui pro Chriſti nomine calumnias pateretur: ſed vbi hæreſis crimen audiuit ſibi impoſitum: excanduit, nec potuit ſe continere; atque ita animi mutationem excuſauit: caterorum peccatorum, inquit, me reum